



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 5. in adultores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

PHILIPPICA V.

In Adulatores,

DOMINICA

Infrâ Nativitatem.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2. v. 35.

§. 1.
S. Simeon non fuit adulator.



Dignum se Sanctus Senecio Simeon illo præconio, quod à Spiritu Sancto donatus & appellatus est *justus & timoratus, expectans consolationem Israël, & Spiritus Sanctus erat in eo*; dignum, inquam, reapse comprobavit, dum vaticinium, de secuturis Iesuli ærumnis, & Matris doloribus syncerè fidelitèrque protulit, nec palpum obtundere voluit, ea solummodo proferendo, quæ in solatium & encomium; quin potiùs ea, quæ in dolorem & opprobrium cedere videbantur, annuntiando: *ecce positus est bicin ruinam & resurrectionem multorum in Israël.* Si adulator fuisset, ruinam certè vel involvisset silentio, vel resurrectioni posthabuisset: *& tuam ipsius animam pertransibit gladius.* gladium doloris potiùs prædicat, quàm sceptrum honoris, contra quàm faciant filij sæculi, qui placitura potiùs, quàm veritati consona proferre nõrunt. hi enim quia justitiæ timorisque expertes, & Spiritu veritatis vacui, vanitatis autem Spiritu pleni sunt, meras rosas & mella loquuntur, spinas & fella sub rosa fervant, laudatores impij, adulatores venenati, positi in ruinam multorum in Israël, nul-

lius verò in resurrectionem. Contra quos divini verbi gladium stringam hodie, ut eorundem obtundam aciem, quâ pungunt, dum unguunt; fauciant, dum svaviari videntur.

Sæpius adulatos Salvatore nostro dæmones fuisse sacri Evangelistæ testantur, quos tamen semper facessere, ac obmutescere iussit, tum ut doceret ex mente Euthymij in c. 1. Marci. *nè dæmonibus unquam credamus etiam vera dicentibus*; cum enim ament mendacium, sintque nobis inimicissimi, nunquam veriloquuntur nisi ad fallendum, veritate quasi escâ quâdam utentes. tum ut nos instrueret, adulationem nunquam admittendam tanquam pestem virtutis, inimicam salutis, exitium Religionis. Elegantissima, D. Epiphaniï observatio est, Salvatorem nostrum os potiùs dedisse proditori, quàm aures adulatori, gustâsse fel potiùs & acetum, quàm delibâsse laudum mel & saccharum; sciebat enim adulationis venenum aded esse mortiferum, ut vel leviter gustatum inficiat interficiatque. loquatur Epiphanius serm. de lingua: *seipsum morti sponte obtulit Salvator, & sermonibus mendacii aurem nequaquam præbuit*; os suum aperiens acetum cum felle gustavit, qui scelèsti verba auribus excipere recusavit. os proditori osculandum exhibuit,

D 2

§. 2.

Laudes dæmonum cur Iesus non ad miserit, sed potiùs osculum iudæ, & fel.

buit, & deceptorum responsum dare noluit. Sic & tuum os maledicis osculandum præbe, aures verò minime: nam si tuum illis os præbueris, osculum illos condemnabit; si aures illis accommodaveris, jam te verborum gustus occidet, aded lethale adulationis est toxicum, ut non modò pereat, qui faturatus est, sed qui primis duntaxat labiis libavit, habeatque conqueri cum Jonatha: gustans gustavi modicum mellis & ecce pereō.

§. 3.
Adulatione Christi decipi posse dæmō putavit.

Senec. lib. 4. natural. quæst.

1. Reg. 5. v. 15.

S. Gregor. lib. 6. in 1. Reg. 11.

Nihilominus mellitum hoc venenum ita plerosque afficit, ut cum certum sit ante oculos periculum, non tamen vitetur; sed (quasi necessarium malum & indeclinabilis lues sit) à non invitis admittatur. Damnatur quidem opinione omnium, sed plurimum voluntate retinetur. *habent hoc in se naturale blanditiæ, inquit Seneca, etiam cum rejiciuntur, placent.* Saulem propter sacrilegam inobedientiam objugaturus venerat Samuel; sed hunc Saul præveniens blandis verborum lenociniis, ideo servata meliora hostium armenta esse asserit: *ut immolarentur Domino Deo tuo.* ecce caudam vulpinam, ecce linguam viperinam, quam blandè ungit, ut feriat: *ut immolarentur Domino Deo tuo.* cur non Domino Deo nostro? ad placandum Samuelem utitur pronomine tuo dicendo: *Jebo vab Eloim tuo.* ita Cardinalis Cajetanus, cui ad stipulatur pontifex Maximus Gregorius: *quid est, quod Deum suum singulariter asserit, nisi quia eum familiarem Dei amicum offendit.* adulatur Samueli Saul de intima Dei amicitia, ut ab infligenda eum pœna avertat, & in idem, in quod prolapsus ipse fuerat, inobedientiæ crimen impellat. Sed prudens propheta reponit: *sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte,* quasi dicat interprete Gregorio: *quid me laudas? lo-*

qui tibi dura non possum. Sine ergò, id est, permitte me loqui. ergò ne adulatoria Saulis lingua in fascinare & ligare os prophetæ potuit, nè meritas indiceret pœnas? potuisset omninò devincire, nisi fidelis Samuel aded celer, & expeditus in rejiciendo incantamento fuisset: *quid me laudas? loqui tibi dura non possum. Sine ergo, permitte me loqui.*

Tanta certè adulationi vis inest, ut eà everti incarnatam sanctitatem posse dæmō putaverit, idèq; hæc verborum blanditias adhibuerit: *si Filius Dei es dic, ut lapides isti panes fiant.* non objicit famem ad impetrandum miraculum, sed famam, quòd Filius Dei dicatur esse, ut adulatione depravet sanctitatem, atque ad miraculum non necessarium inducat. Observat Veteratoris astum Chrysostomus: *non dixit: quandoquidem es furis, sed si Filius Dei es. videlicet existimans posse se illi aliquid per laudum blandimenta suffurari.* ecce genium diaboli, ecce scopum adulationis! *idcirco non commemoravit esuriam, nè hoc ei quasi exprobrare atque objicere videretur.* Sed cum simplex dæmon fallere divinam sanctitatem non posset, nec duplici alia tentatione superior evadere, dissimulavit tantisper factum, & opportuniori usus occasione assumptisque compluribus aliis dæmonibus validissimo denudò usus est adulationis jaculo ad virtutem Christi sauciendam, coram turbis enim altà voce exclamavit, & Sanctitatem Domini ebuccinavit: *Scio quis sis sanctus Dei. exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei.* non dicit amplius dæmon, si filius Dei es. sed: *Tu es Filius Dei,* ut magis adulando plus noceat: *credidit infelix,* inquit Chryfologus, *ut eum, quem tentatione vincere, quem muneribus inspicere nequivit, posset adulatione pul-*

Matth. 4. v. 3.

Chrysof. homil. 13. in Matth.

Marc. 1. v. 24. Luc. 4. v. 41

Chryfologus ferm. 17.

pulsare. sed repulsus à Iesu, inditòque severo silentio faceffere iustus est: increpans non sinebat ea (dæmonia] *loqui* Luc. 6. v. 41. increpa adulatorem & abige; Si abigere & osilli obserare non vales, aures tuas obtura, nè imprudentior serpente, & aspide furdâ sis, quæ obturat aures suas ad vocem incantantis.

§. 4.
Adulatio est scelus diabolicum.

Audivimus adulantes Christo dæmones, audiamus & homines. Matth. 23. Scribæ & Pharisei accessisse ad Iesum describuntur, & miraculum aliquod postulâsse, ut genium suum tentatoris genio non abfimilem demonstrarent: *Magister volumus à te signum videre.* quibus ille severum reddit responsum: *generatio prava & adultera, ut indicet ex diabolica eos esse progenie, sicut prius dixerat: vos ex patre diabolo estis.* Johann. 8. v. 44. lingua nimirum illos manifestos facit, quæ sint ab origine nati. Serpentinam habent linguam, quâ blandiuntur more serpentis in paradiso, ut noceant. *blandiri enim verò ut noceat,* inquit Chrysostomus hom. 13. in Matth. *diaboli est, corripere verò, ut proficit, Dei.* Adulatoris linguam vocavit Diogenes apud Laert. lib. 6. *melleum laqueum;* Augustinus verò sent. 137. *diaboli laqueum:* adulantium linguæ alligant animas in peccatis. delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur, reprehensor, sed etiam laudator, auditur. nocent adulatores, dum laudant temerarios quasi generosos, avaros quasi providos, libidinosos quasi affabiles, desides quasi maturos, ambitiosos quasi præclarâ indole præditos, rebelles quasi bono publico natos. *blandiri, ut noceat, diaboli est.* Cùm angelus à Deo missus salutaret Nazarethanam Virginem, ac gratiâ plenam, Domino conjunctissimam, in mu-

lieribus benedictam appellaret, turbata est virgo prudentissima, & *co-* Luc. 1. v. 29.
gitabat, qualis esset ista salutatio, an-
non serpentinus fortè foret sibilus ad intoxicandum cor virgineum emissus, quia blandiri, ut noceat, diaboli est. Neceffe proinde habuit bonus angelus confortandæ virgini nomen illius proprium, quod reverentiæ causâ prius subticuerat, pronunciare, ut bonum sese angelum demonstraret; à malo enim nusquam in scripturis legitur nomen *MARIE* pronunciatum fuisse, sicut nec legitur nomen *Hevæ* à Deo [quia ab adulatore se circumveniri passa fuerat] unquam fuisse prolatum. *Nè timeas Maria invenisti enim gratiam apud Deum,* nè timeas, non sunt hæc fallentis verba (verba sunt *Andræ* Archiepiscopi Solymæi apud Lippomanum 25. Martij) non veni, ut te decipiam, non loquitur tibi fallax serpens, è terra tibi non loquor, sed bonum ex altissimis nuncium affero. singulari defensione archangelus opus habuit, nè propter prolata verba laudis malè audiret apud angelorum Reginam, quæ primæ virginis in paradiso turpiter deceptæ memor, noluit laudibus credere, nè dum gratiâ plena dicitur, gratiâ evacuaretur, & à Domino elongaretur, dum esse cum ea Dominus prædicatur, aut maledictionis incurreret periculum, dum benedicti se supra mulieres audit. ita cautæ sunt omnes animæ prudentes, nè peccatoris oleo impingentur, & virtutum verarum oleum è vasis suis deperdant. *oleum peccatoris non impinguet caput meum,* orat David. ps. 104. v. 5. *quid est oleum peccatoris, nisi falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris,* inquit S. Augustinus, ab hoc oleo impinguari timent, quotquot cum prudentibus virginibus & virginum prudentissima

S. f.
Adula-
torum ti-
tuli.

oleum & operam perdere nolunt.

Audio sacros profanosque oratores verbis sensatissimis, parasitorum nequitiam perstringere, variisque adumbratam schematis in lucem protrahere veritatis: *pulchrè adulator apud philosophos definitur: blandus inimicus*, inquit contra Jovinianum Hieronymus; sed hæc definitio nimis blanda est. Ranam insolentem, chamæleontem subdolum, hyænam crudelem, pardum immanem vocat adulatorem Plinius l. 8. c. 33. ranæ insolenter vocales imminentem annuntiant tempestatem, adulatores rerum publicarum ruïnâ; chamæleon omnem imitatur colorè præter candidum, adulator omnem turpitudinem, solam imitari nescit honestatem; hyæna vocem humanam imitatur & nomen alicujus addiscit, quem evocatum lacerat, blanditur adulator obsequio, donec in perniciem trahat; pardus odore, adulator s'vaviloquelâ homines allicit, ut perdat. *Adulator Scorpio est*, inquit S. Gregorius l. 1. c. 9. in Ezechiel: *qui palpando incedit, sed caudâ ferit*. Lupis simillimos dicebat assentatores Rex Alphonfus apud Panormit. lib. 3. quemadmodum lupi titillando & scalpendo asinos devorant, ita parasiti blanditiis ac mendaciis in perniciem principem trudent. assentatores pediculis assimilat Plutarchus lib. de adulat. nam sicut hi corpora extincta deserunt statim, ut sanguis, quo alebantur, evanuit; sic illi eos, quorum res perit, effugiunt. Plato veneficos vocat (in Phædro) & impuros dæmones, qui animos incautos infestis epulis fovent. Tineas & forices palatii sui nominare Constantinus Magnus solebat, quia vilissima quæque rodunt. Acute Diogenes in duplici græco vocabulo Korax & colax lusit, quorum illud *corvum*, hoc *assentatorem* signi-

ficat, monuitque fatius esse incidere in *coraces* corvos, quàm in *colaces* adultores; hi enim præ corvis nocent, quia oculos non corporis, sed animi eruunt. favet Diogenis acumini Chrysofomus in Polycratio c. 3. *adulator omnis virtutis inimicus sub amantis specie nocere non desinit, donec rationis obtundat acumen, & modicum illud lumen, quod adesse videbatur, extinguat*. Arrisores arrosores, ait Seneca ep. 27. & quod his conjunctum est, derisores. infregit Sigismundus Imperator adulatori suo à quo diis æquiparabatur, sonantissimum colaphum, cùmque is quereretur: *Quid me caedis Imperator?* respondit Sigismundus: *quid me mordes adulator?* nè credas tuis adulatoribus, monet scitè Rusticum D. Hieronymus, qui cùm te adulationibus foverint, a fini auriculas post te agitant, aut ciconiarum colla curvant, aut æstantis canis protendunt linguam. Antigoni Regis votum erat in sacrificiis, teste Maximo ferm. de amicis. *servate me ab adulatoribus dii, ab inimicis apertis servabo me ipsum, ab amicis fucatis non possum mihi ipsi cavere, sed Deo protectore opus est*. Adultores vocat Phavorinus philosophus canes Actæonis, qui lautè nutriti Dominos suos discernunt. quemadmodum Actæon à canibus, quos ipse enutrierat, dilaceratus fuit; ita adultores hos, qui ipsos alunt, evertunt. baculum his canibus, non escam. Hirundinibus eosdem assimilat Petrus Dami. ep. 33. quæ non unum excæcârunt Tobiam: *quid le viter volantes hirundines, nisi leves adulantium, & blanda loquentium significant mores? qui dum blandiloquii sui s'varitate demulcent interiores oculos, nè solitâ luce perfruantur, excæcant*. effuga ejusmodi hirundines, quæ non nisi relicto in oculis tuis puncto vale aufugi-

Æneas Sylvius lib. 2. de gest. Alp. ph.

giunt, cum asperior aduersitatis hyems ingruat. Hugo Carensis adulatores vocat tonfores, ad illud ps. 51. sicut novacula acuta fecisti dolum. Sicut tonfor prius aquâ tepente & smigmate utitur, ut mulceat, dein novaculâ ut rapiat; ita adulator prius ungit, antequam emungat, & abradat non pilos tantum & externa bona, sed virtutes & animæ ornamenta: aqua tepens præcedit rasuram, id est, adulatio; molliti sunt sermones ejus super oleum, ecce tepefactio. *Et ipsi sunt jacula, ecce rasura.* eradantur hujusmodi rases de terra viventium, nè tot radant & proscindant pejus, quàm legati Davidici à Rege Hannon rasi fuerint, inque regionem mortuorum deturpatos deturbent, non facilè ad vitam cum Lazaro resuscitandos.

Tres mortuos resuscitasse Christus legitur, quartus licet insinuat à candidato discipulo (quem Philippum fuisse Clemens Alexandrinus autumat] gratiosè fuerit: *Domine permitte me primum ire & sepelire patrem meum.* Matth. 8. & Luc. 9. nihilominus resuscitatus à Christo non est, imò nec parentare permissus adolescens vetante Domino: *dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Cur supremum parenti obsequium obire filius non finatur, causam duplicem reddit Ambrosius: *ideo prohibetur, ut discipulus suus sepeliat patrem suum; quia æterno Patri sine cessatione debet esse intentus. non revocatur ab officio Patris filius, sed fidelis à perfidi communiione secernitur.* periculum perversionis Magister coelestis prævidit, præcavitque, quod adolescenti vel ab umbris paternis imminebat, ita nimirum omnis periculorum umbra rejecto quovis pietatis prætextu est timenda. Demus tamen à perfidia mortui nullum imminuisse periculum, imminebat si-

ve à testamenti executione, ut vult Chrysostomus (*erat verisimile post patris sepulturam ad testamenti legilatore deventurum, & hereditatis dirvisionem, deinde in aliud ex alio quasi undarum fluctibus distracto procul à portu salutis jactaretur*] sive ut ingeniosius notant alii, imminabat grande salutis discrimen, ex adulatorum blanditiis, quas tanquam consolatores in funere & funebri panegyri erat habiturus. Quin & ex eadem causa quartum hunc mortuum Iesus non revocavit ad vitam, quia adulatoris typum exprimebat, sicut Lazarus peccatoris inveterati, filius viduæ in Naim peccatoris notorii, filia archisynagogi peccatricis occultæ figuram gesserant. Omnes hi peccatores facilè à benignissimo Salvatore reddentur luci, solo illo excepto, qui laudibus & adulationibus dementatur, ut veritatem & verba salutis minimè percipiat. assertio hæc Magni Gregorii est lib. 4. moral. c. 29. *quartum verò mortuum Redemptor noster nunciante discipulo agnoscit, nec tamen suscitatur, quia valde difficile, ut is, quem post usum male consuetudinis etiam ad ultimum adulantium linguæ excipiunt; à mentis suæ morte revocetur.* De quo bene dicitur: *sine mortuos sepelire mortuos suos: mortui enim mortuos sepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt.* ita ad verbum pontifex. premitur ab adulatoribus, imò opprimitur laudatus, etsi ultra tertium cælum evehi laudibus videatur. duo sunt genera persecutorum, inquit Augustinus apud Sylveiram lib. 6. in Evang. c. 21. q. 4. *Vituperantium & adulantium; plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.* grandius ergo homicidio peccatum adulationis est, ob quod tantam Deus exardescit in iram, ut exacerbari à psalte dicatur ps. 9. v. 4.

S. Chryso-
stom' ho-
mil. 78.

§. 6.
Adulato-
rum fauto-
res appel-
lantur à
Christo
mortui.
Clemens
Alexand.
lib. 3. Stro-
mat. c. 2.

S. Ambros.
in ps. 48. &
lib. 7. in Luc

exa-

exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non queret, non est Deus in conspectu ejus: ecce ectypon adulatoris. non est Deus in conspectu ejus. atheus est, quia vindicem scelerum non agnoscit, dum scelera approbat in laudato. hinc illa divinæ iræ multitudo, ut non quærat Deus correctionis medium, sed correptionis flagellum. exacerbavit Dominum adulator, quoniam laudatur peccator in desiderii animæ suæ.

§. 7.
Adulatores cavendi.

Execremur proinde omnes assentatores, eosque cane pejus & angue fugiamus. *Cavendum præsertim*, ait D. Synesius l. de regno, *idque totis animi viribus, nè in cautis obrepat adulatio, sola quippe hæc imperium animæ deprædatur.* dæmonem audire te puta, cum laudem adulantium audis, nam ut ad Blancam comitissam scribit Petrus Damianus: *sæpe malignus Spiritus velut avis in ramo arboris, sic in lingua ponitur adulantis. tu autem obtura aures malè sradentibus Sirenibus & Scyllæ voraginis prudenter evade, naufragium: Sicque cor tuum in*

Sancto proposito terror judicij figat, ut nequaquam ventus assentatorii favoris hinc evellat, nescio, qui salutem & vitam sperare possit, qui adulatorum familiaritate delectatur. *teterrima pestis urbibus assentatorum vita, tabificus morbus eorum consuetudo, adolescentibus exitium, domibus ruina, monasteriis eversio, christianæ religioni extrema calamitas, omniumque malorum seminarium & origo.* ita Philo Carpathius in cantica apud Baëzam to m. 5. l. 16. c. 123. p. 26. fuge adulatorum linguam, ut effugias gladium doloris, eam enim si omni consilio industriæque paveris ac caveris, tuam ipsius animam doloris gladius non pertransibit.



PHILIPPICA VI.

Inpersecutores viduarum, & malè moratas Viduas.

DOMINICA EADEM

Et hæc vidua non discedebat de templo. Luc. 2. v. 38.

§. 1.
Singularem affectu in Viduas fertur Deus.



Observavi in toto facrarum paginarum contextu nullam omnino viduam probro aliquo notari; quoties verò viduæ alicujus occurrit mentio, ferè sem-

per exornari laudibus, vel ob singularem prudentiam, ut Thamar Gen. 38. vel ab eloquentia, ut Thecuiten 2. Reg. 14. vel ab hospitalitate, ut Sareptanam Eliæ hospitalitatem 3. Reg. 17. vel à castimonia, ut Juditham c. 8, v. 4. vel à singulari pietate.